

interfuit inter urbem maximam et nullam. Denique diutius  
illam tibi perisse quam perit narro.

- 3 Haec omnia Liberalis nostri adfectum inclinant, adversus  
sua firmum et erectum. Nec sine causa concussus est: inex-  
pectata plus adgravant; novitas adicit calamitatibus pondus, 5  
nec quisquam mortalium non magis quod etiam miratus est  
4 doluit. Ideo nihil nobis improvisum esse debet; in omnia  
praemittendus animus cogitandumque non quidquid solet sed  
quidquid potest fieri. Quid enim est quod non fortuna, cum  
voluit, ex florentissimo detrahat? quod non eo magis adgre- 10  
diatur et quatiat quo speciosius fulget? Quid illi arduum  
5 quidve difficile est? Non una via semper, ne trita quidem  
incurrit: modo nostras in nos manus advocat, modo suis  
contenta viribus invenit pericula sine auctore. Nullum  
tempus exceptum est: in ipsis voluptatibus causae doloris 15  
oriuntur. Bellum in media pace consurgit et auxilia securitatis  
in metum transeunt: ex amico (fit) inimicus, hostis ex socio. In  
subitas tempestates hibernisque maiores agitur aestiva tran-  
quillitas. Sine hoste patimur hostilia, et cladis causas, si alia  
deficiunt, nimia sibi felicitas invenit. Invadit temperantis- 20  
simos morbus, validissimos pthisis, innocentissimos poena,  
secretissimos tumultus; eligit aliquid novi casus per quod velut  
6 oblitis vires suas ingerat. Quidquid longa series multis labo-  
ribus, multa deum indulgentia struxit, id unus dies spargit  
ac dissipat. Longam moram dedit malis properantibus qui 25  
diem dixit: hora momentumque temporis evertendis im-  
peris sufficit. Esset aliquod inbecillitatis nostrae solacium  
rerumque nostrarum si tam tarde perirent cuncta quam